

quentia est bona, et major videtur nota, cum instrumentum aliquid causalitatis exerceat circa effectum. Minor vero probatur, quia si res ut effecta referatur ad instrumentum, aut hoc fit ex natura sua, aut media aliqua mutatione; neutro istorum modorum; ergo nullo. Probat hęc minor, quia ex natura sua nequit referri, cum instrumentum supra suam naturam elevetur ad talem effectum producendum: nec etiam media aliqua mutatione accidentali, quia vel esset talis mutatio in solo instrumento, aut in sola re producta; neutrum dici potest; ergo. Prima pars minoris probatur, quia instrumentum deberet mutari per aliquam qualitatem permanentem, aut transeuntem; utraque autem si est propria, et sufficiens ad effectum producendum erit causa principalis; si est insufficientis ad effectum, non poterit illum producere nisi media elevatione superveniente; ergo illa mutatio non erit sufficiens ut instrumentum referatur ad effectum. Secunda autem pars minoris probatur, quia si tota mutatio ponitur ex parte rei productæ, jam non erit mutua relatio inter talem effectum, et instrumentum; quod est contra rationem causæ, et effectus.

LIV. Ad hoc argumentum, quod est prima ratio Vazquez, respondetur primo, quod cum talis ratio communissima sit, et intendat probare, quod nullum prorsus est dabile instrumentum physicum, argumentum est multum probans, quod est magnus defectus. Ne autem sibi videatur aliquid probasse, respondetur secundo in forma ad argumentum concessa majori, negando minorem, ad cujus probationem dico, quod res ut effecta refertur ad instrumentum non ex natura sua consideratum, sed secundum quod divina virtute elevatur, ut operetur

supra suam formam, et consequenter media aliqua mutatione ejus; hęc autem mutatio non est per aliquam qualitatem superadditam, neque permanentem, neque transeuntem, sed per divinam motionem in ipso receptam, quæ quidem motio sufficiens est ut instrumentum operetur, non quidem a forma intrinseca, atque adeo non tamquam a causa principali, sed per virtutem a Deo communicatam, quæ simul cum operatione principalis agentis producere potest effectum, quem alias neutiquam posset producere. Unde non se tenet mutatio solum ex parte instrumenti, sed etiam ex parte rei productæ, et consequenter optime salvatur inter utrumque relatio effectus, et causæ. Videatur obsecro, quam facile solvatur ratio illius auctoris, quam ipse summopere magnificat, utpote cui sua maxime placebant, præsertim quando communi sententiæ Thomistarum se opponebat.

LV. Sexto arguitur secunda, et tertia ratione ipsius Vazquez probando a singularibus, quod humanitas Christi non fuerit instrumentum physicum aliquorum miraculorum. Et primo ponit miraculum illud de suscitatione Lazari, et de sanitate reddita filio reguli, et filio centurionis, de quibus nos diximus in primo nostro argumento, in quibus non apparet quomodo concurrat humanitas physice. Deinde in particulari probat suam sententiam in miraculo illo Marci I et Lucæ IV, cum dixit Dominus dæmoni, qui hominem obsidebat: *Obmutesce, et exi de homine*, tunc enim Christus non impressit aliquid in dæmone, ut illum expelleret a corpore quasi per impulsum. Silentium etiam dæmonis solum erat negatio alicujus positivi effectus, quæ non poterat esse ab humanitate Christi tamquam physico instrumento.

LVI. Confirmat ultimo iste auctor hanc sententiam miraculo illo deambulationis Christi super aquas, quod narratur Matthæi XIV: nam illa deambulatio uno ex tribus modis fieri potuit. Primo, concessa corpori Christi pro tunc dote agilitatis, sicut in transfiguratione concessa fuit dos claritatis: secundo modo, ita ut per divinam potentiam corpus illud grave sustentaretur super aquas, ne eas suo vestigio præmeret, sicut quando Habacuc ductus est Babylonem ab Angelo pendens ex uno capillo capitis: tertio modo per hoc quod Deus negaret suum concursum aquis ne compressæ diffluerent, sed quolibet horum modorum fieret miraculum, humanitas non potuit esse instrumentum physicum ad illud patrandum; ergo. Minor quoque primam partem probatur, quia si concessa fuit corpori dos agilitatis jam in se habebat corpus illud virtutem, ut deambulet super aquas absque eo, quod submergeretur, hoc enim proprium est corpori glorioso propter dotem agilitatis.

LVII. Quoad secundam partem probatur minor, quia si Deus sustentavit corporis molem, hoc fuit, vel suspendendo concursum ne grave tenderet deorsum, et ad subtractionem talis concursus humanitas non concurrebat physice; aut fuit per hoc, quod imprimeret in corpore Christi impetum aliquem, sicut si Angelus detineret lapidem in aere; hoc autem non est cur dicatur, cum primus modus sit facillior (ait hic auctor) ergo non fuit humanitas causa instrumentalis physica illius miraculi.

LVIII. Tertia pars minoris probatur, quia si Deus denegavit concursum aquis ne diffluerent gravatæ a vestigiis salvatoris, ad talem denegationem non potest dari instrumentum physicum. Nec sufficit dicere,

quod compressæ sunt aquæ medio aliquo impulsu, quia talis impulsus non videtur possibilis propter conditionem corporis fluidi quale est aqua. Hęc sunt argumenta Vazquez, quibus ipse maxime videtur intentum probasse.

LIX. Ad hoc argumentum respondetur primo, quod totum illud procedit ex puris particularibus, et est argumentari a non distributo ad distributum, verbi gratia, ad hoc miraculum in particulari non concurrebat physice instrumentaliter humanitas, aut ad hoc; ergo ad nullum, atque adeo formam argumenti nullam esse, utpote quæ innumeras patitur instantias.

LX. Secundo, respondetur de antecedenti, et de singulis miraculis in particulari negando quod non concurrat ad illa instrumentaliter physice Christi humanitas. Et circa primum miraculum, quod adducit de suscitatione Lazari optime salvatur concursus iste physicus, voce si quidem elevata Christus dixit: *Lazare veni foras*, quæ actio locutionis, quamvis secundum quod erat quædam vox non haberet de se virtutem suscitandi mortuum, bene tamen secundum virtutem divinam, quæ illi potuit imprimere vim physicam, sicut in sacramentis, verba quæ secundum se tangere non poterant animam, et eam lavare, lavant per virtutem divinam ministro debitis circumstantiis, et intentione proferente: Ego te baptizo.

LXI. Idem dico de alio miraculo sanitatis restitutæ filio reguli, et filio centurionis, quod verba Christi cum regulo, et centurione virtute divina potuerunt sanare physice instrumentaliter absentes; distantia namque loci nihil obstabat ut diximus.

LXII. Tertium etiam miraculum, quando ejecit dæmonem de corpore hominis, et fecit illum obmutescere, physice etiam causatum fuit instru-

mentaliter ab illa voce Christi imperantis: *Obmutesce, et exi ab homine*; virtute namque divina potuerunt illa verba quasi per impulsum dæmonem ejicere, et similiter facere ut homo obsessus a dæmone non posset linguam movere, aut labia ad nutum dæmonis, sicut antea, et per hoc causabatur silentium dæmonis.

LXIII. Loquendo autem de ultimo miraculo deambulationis Christi super aquas, non possum non mirari ingenium istius moderni, qui in hoc miraculo reperiat majorem repugnantiam, quam in aliis, ut fiat ab humanitate Christi tamquam physico instrumento; nullum enim est in quo magis aperte ostendi possit nostræ conclusionis veritas; quolibet enim illorum modorum fuerit facta illa ambulatio, concurrere potest humanitas physice ad illam; nam esto haberet tunc corpus illud dotem agilitatis, cum hanc non haberet virtute propria, sed divina per modum transeuntis, miraculum fuit illam habere corpus passibile, atque adeo anima ejus concursus habuit physicum in ordine ad causandam talem agilitatem in corpore.

LXIV. Si vero secundo modo fuit factum miraculum per hoc quod Deus sustentaverit corporis molem, etiam concurrebat physice humanitas, quia illud non fuit factum per suspensionem concursus divini, ut ille auctor suspicatur, sed imprimendo in illo corpore impetum aliquem ad modum, quo Angelus lapidem detineret in aere.

LXV. Si tertio modo fuit factum, concurrebat etiam physice humanitas, quia non per subtractionem concursus divini, sed per aliquam compressionem aquæ fiebat, ut Christus non mergeretur super aquas ambulando; hoc enim optime divina virtute poterat fieri, quamvis non naturaliter. Ego autem existi-

mo secundo modo factum fuisse; nam Christus aliquantulum gravitabat tangendo aquam, cum vestigia in aquis imprimeret, et aliquantulum aquæ ipsæ diffuebant, ita tamen paululum ut non submergeretur, sed solum vestigium aliquod faceret. Itaque in hoc miraculo, et in quolibet alio a Christo Domino patrato, aut justificatione impii semper reperitur aut contactus corporis cum subjecto miraculi, aut vox, et imperium, aut saltem actus voluntatis humanæ Christi, quibus virtute divina operando miracula physice instrumentaliter operari poterat humanitas.

ARTICULUS III.

Utrum humanitas Christi Domini ad patranda miracula, et justificationem physice instrumentaliter habuerit aliquam virtutem permanentem habitualiter in ipsa?

I. Pro perfecta decisione hujus dubii, duo a nobis determinanda sunt in præsentia. Primum, quidnam sit virtus illa, qua humanitas efficienter concurrat ad justificationes, et miracula; sitne qualitas aliqua superaddita, vel motio tantum divina: secundum autem, an sit hæc virtus permanens habitualiter, qua Christi humanitas uteretur pro suo libito, quod est præcipuum quæsitum in hac dubitatione.

PRIMA CONCLUSIO.

II. Potestas faciendi miracula, quam habet humanitas Christi, est aliquid reale, et creatum. Prima pars conclusionis probatur, quia potestas ista convenit humanitati, seclusa quacumque operatione intellectus, et est magna illius perfec-

tio; ergo est aliquid reale. Confirmatur, quia talis potestas data fuit Apostolis, ut patet ex illo Marci ultimo: *In nomine meo dæmonia ejicient, et super ægros manus imponent, et bene habebunt*, qua potestate D. Petrus umbra sua sanabat infirmos; sed in illis erat virtus realis; ergo a fortiori in Christo, in quo eminentius erat talis potestas, utpote in cælo et in terra.

III. Secunda pars conclusionis probatur, quia potestas ista faciendi miracula non erat omnipotentia simpliciter, nam ut diximus articulo primo, impossibile est eam communicari creaturæ; ergo erat aliqua potestas creata. Patet consequentia, quia ens exacte dividitur per creatum, et increatum.

SECUNDA CONCLUSIO.

IV. Impossibile est, quod potestas humanitatis Christi, aut alicujus creaturæ ad facienda miracula sit aliqua qualitas completa materialis, aut spiritualis per modum permanentis, aut transeuntis. Hæc conclusio est communissima inter theologos hujus temporis, præcipue Thomistas, quam tenet Cajetanus in præsentia, et infra quæst. LXII, art. IV; magister Medina hic; Soto in IV, distinct. I, quæst. III, art. IV; magister Bagnez I part. quæst. XLV, art. V, circa finem; magister Vincentius in relectione de gratia Christi, pagina 822; Zumel 4-2, quæst. CXXII, art. I, disp. III, propositione II; Bellarminus, tom. III, lib. II de sacramentis, cap. XI; et Suarez disp. XXXI, sect. V; ubi affirmat doctrinam istam esse contra aliquos antiquos Thomistas.

V. Probatur primo conclusio ex D. Thoma 2-2, quæst. CLXXVIII, art. I ad primum, ubi ait esse impossibile dari aliquam qualitatem ad facien-

da miracula. Nec sufficit dicere, quod D. Thomas tantum negat qualitatem per modum permanentis, non autem per modum transeuntis (ut Capreolus dicit) quia qualitas illa non potest produci a Deo taliter, quod sit permanens; ergo nec etiam taliter, quod sit transiens; aut e converso si potest produci ut transiens, etiam ut permanens. Patet consequentia, quia talis qualitas esse non posset transiens ad modum rei successivæ, ita ut habeat partem post partem, sed necessario deberet esse tota simul pro illo brevi tempore, quo effectum causabat. Semel autem producta jam non repugnaret, quod permanenter a Deo conservaretur, sicut non repugnabat visionem claram Dei esse communicatam D. Paulo per modum transeuntis, ut in illo esset permanenter.

VI. Secundo, probatur conclusio, quia quæcumque qualitas creata debet eo ipso esse in subjecto creato, et consequenter certis legibus, et limitibus debet esse clausa, atque determinata certo, et limitato modo operandi; sed virtus de se factiva miraculorum non subjicitur alicui legi, neque coarctatur certo modo operandi; ergo produci non potest a Deo. Major probatur, nam virtus illa necessario esset accidens, et consequenter necessario deberet dependere a subjecto in essendo, et in operando, ita quod sicut habet esse determinatum, etiam habeat modum operandi ex natura sua determinatum; implicat enim a forma determinata, et limitata producere virtutem factivam illimitatam, et infinitam. Minor autem probatur, quia facultas miraculorum est potestas, et virtus supra omnem ordinem naturæ, et supra modum operandi naturalem.

VII. Quod si dicas legem illius qualitatis, et modum operandi esse